



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 255. Et petijt corpus Iesu. v. 43.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

semper tuæ benedictæ passionis memoriam agam, & sic per fidem & spem & caritatis opera constans corâ te, & omnibus hominibus inueniar vt cor meum tecum concordet, & conuersatio mea sit pia, & sine querela in te homines. Tunc merebor tuus esse discipulus genuinus.

§. 254. *Et audacter introiit ad Pilatum. v. 43.*

Seposito respectu nobilitatis suæ & officij sine tergiuersatione, sine metu oblocutionum] & Iudæorum æmulantiû comminatione contendit Spiritus S. gratia ad Pilatum, vt tempestiue Christum mortuum ante initium festi sepelire posset.

Tu igitur Christiane si cupis esse Christi discipulus negligis hominum iudicijs quando Dei iudicio contrariantur, soli Deo placere stude, qui currunt in stadio illorum solum iudicia curant qui daturi sunt premia, ita & tu age, discite non curare laudes aut vituperia hominû Deo contrariorum, totis viribus enitaris vt illi placeas, & obsequium præstes tuo iudici. Perdes oleum & operam, si curiosius obserues hominum dicta. Tu autem Saluator concede vt perpetuo gratus sim tibi vt morem geram voluntati tuæ, quia reliqua omnia sunt vanitas maxima & afflictio spiritus.

§. 255. *Et petijt corpus Iesu. v. 43.*

Quam sunt disparia hominum iudicia de eadem re! Illud corpus, Reges ex oriente & alij innumeri adorarunt. Iudas autem xxx. argenteis vendidit, Iudæi & flagellarunt & conspuerunt, & cruci affixerunt, Videntes plerique exhorruerunt, at Ioseph, nobilis homo & diues petijt.

O Ioseph, optime fecisti. Tu dignitatem huic corpori ad modicum ablatam restituisisti, quando illud tam honoratus & diues expetijsti. Propter hoc æterna gloria, æterno regno dignus euasisti. Vtinam & ego corpus hoc in communionem sæpe magno desiderio expetam, quod Calvinista recusat, Capharnaitam scandalizat.

§. 256. *Pilatus autem mirabatur si iam obisset. v. 44.*

Merito mirabatur quia non viderat, quæ in eo fecissent, quorum voluntati eum tradiderat, quomodo eum flagellassent vltima vice & coronassent & cruce baiulanda vexassent, & quomodo eum sibi vexassent & contumelijs plane ad infernum depressissent.

O Terrarum & hominum Domini, vos aliquando deberetis prospicere in carceres, in ergastula, in officinas, in angarias, in rationum libros, & ipsos subditos visitare, tunc videretis multa quæ ignoratis, & quorum particulam audientes miramini, Esset miseris oppressis solatio magno si
scirent